HIPPOCRATIS COI
BIOLOGIÆ EXPLICATIO NOVA
FRIEDLEBEN
1842

HIPPOCRATIS COI

BIOLOGIAE

EXPLICATIO NOVA.

OPUSCULUM ARTIS MEDICAE HISTORIAM

SPECTANS

SOLIS EX SCRIPTIS IISQUE GENUINIS TANTUM IPSIUS HIPPOCRATIS

ELABORAVIT

ALEXANDER FRIEDLEBEN

MOENO-FRANCOFURTANUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

1842.

Viris doctissimis

Doctoribus almae artis medicae

praeclarissimis

Medicis Moeno-Francofurtanis

felicissimis

Viro ac Domino

Ph. J. Cretzschmar

med. Doct.

Viro ac Domino

J. M. Mappes

med. Doct.

Viro ac Domino

J. P. H. Pfefferkorn

med. Doct.

sacras esse vult

has studiorum primitias

Auctor.

Prooemium.

Merito aliquis in edenda dissertatione systema Coi senis biologicum tractante excusationem postulaverit, praesertim quum nil amplius novi ea de materie nostris temporibus dici videatur posse, in qua tractanda tot viri egregii praeclarique jam sunt versati. Egomet ipse priusquam hoc thema aggressus sum, eadem illa meherclе opinione ducebar, sed id quod persaepe fieri solet, ut in aliqua quacumque materie versantes in prorsus aliam deducamur, id et mihi accidit et nactus sum ita forte quadam novam de biologia Hippocratis sententiam, quae ab omnibus iis quae adhuc viguerunt sententiis non modo valde recedit, sed etiam omnes illas aut falsas aut certe vitiosas esse perhibet. Res autem haec est. Ab initio hunc mihi proposui finem, ut monstrarem, quamnam vim philosophia in ipsius Hippocratis sententias biologicas exercuerit, itaque non solum opera recentiora historiam philosophiae spectantia et veterum philosophornm scripta perscrutanda erant, sed etiam

medicorum historiographorum libri. Anceps autem rei tractandae ratio, qualem quibusdam in libris inveneram, et variae scriptorum opiniones, quorum alius alii probabilia tantum visa jam ut certa prae se ferebat, me impulerunt, ut ob complures locos Hippocraticos a scriptoribus memoratos, diverse autem explicatos ipsum graecum exemplum adirem atque consulerem, qua in re saepius prorsus diversa inveniebam. Hinc ad omnes libros Hippocraticos legendos ductus multos eorum quam diversissimos inter se reperi: itaque orta quaestione quinam librorum illorum genuini, qui spurii, quam maxime stupefactus sum, quod omnes fere historiographi scripta quae dicuntur hippocratica temere, non observantes severae critices leges in rem suam converterant. Unde autem anceps illa rei tractandae ratio fluxit? Primo causa me fugit, sed jam clare intelligo nimiam in verba nomenque alicujus scriptoris fidem fontem esse illius rei. Galenus, medicus multa quidem litterarum cognitione ac scientia ornatus, haudquaquam vero pariter critica ratione praeditus, permultorum de Hippocrate ejusque sententiis errorum primus auctor isque fuit, cujus sententias duodecim fere saecula repetebant et tanquam recinebant. Errores tamen tamdiu aliti inveterati penitus defixi et insiti sensim sensimque tantum extabescunt, ex quo modus iste pravus nostris jam temporibus

acceptus est derivandus, quod scriptores de Hippocrate disserentes Galeni quam ipsius Coi scripta sequi malunt: qui modus mea quidem sententia magnum studiorum historicorum vitium est habendus, siquidem eum qui liberius atque ratum de quopiam scriptore judicium facturus est, ipsos fontes adire decet minime praeoccupatum alienorum opinionibus. Quum igitur perlectis Hippocratis libris multos adhuc grassantes errores invenisse mihi viderer, intellexi me prius illud propositum thema non posse persequi ut par fuisset, nisi genuinam biologiae Hippocratis designationem ex genuinis tantum ejus scriptis petitam antea delineare studuissem. In aliam ita quaestionem delatus et prius illud thema negligere coactus istam novam materiem inquisivi.

Jam nemo negabit me justa ex ratione rem adsiise, quippe qui designationes aliorum scriptorum perlectis demum genuinis Hippocratis scriptis falsas cognovi: nec spero me illud subiisse opprobrium, quasi inanis vanaeque laudis cupiditate ductus solus verum invenisse mihi viderer; omnes enim ex genuinis tantum Hippocratis scriptis ad me refellendum et redarguendum petitae correctiones semper gratae acceptaeque mihi erunt.

Egregiorum autem virorum sententiis meas qualescumque opiniones opponere ausus sum, quod

veritati plus quam auctoritati obediendum mihi videtur, minime vero immortalem illorum virorum gloriam, aere perenniorem, deterere aut obscurare mihi in animo fuit. Ridiculosissimus enim et justa derisione dignissimus, qui magni ingenii gloriam arrodens in cacumen laudis ascendere se posse opinatur. Omnium principis igitur magni Sprengelii manes mihi indulgeant precor, quod almae adhuc artis discipulus magistri tamen in verba jurare non potuerim. Pietas quidem pulcerrima virtutum est, sed haud impietas in mortuorum nomen existimanda, si quis nihil sanctius et antiquius habens quam magna eorum merita suis ipsius oculis videre studet non abreptus caeca admiratione. Et alii viri praeclari, quorum sententiis concinere non potui, de me meisque opinionibus eadem ex ratione judicent quaeso.

Denique libros nominare mihi liceat, quibus in tractando hoc opusculo sum usus, quum nomina omnium hanc materiem spectantium scriptorum exhibere non conveniat. Id solum jam memoratu dignum videtur, me Galeni opera ad secernenda tantum genuina et spuria scripta Hippocratica adhibuisse, opinionum autem medici Pergamensis de Hippocratis sententiis pro tempore mentionem non fecisse.

Libri hi sunt:

Hippocratis opera ed. *Kühn.* Vol. I—III. Lipsiae, 1825—1827.

Hippocrates Werke, übersetzt von *Grimm*, herausgegeben von *Lilienhain.* Glogau, 1837—1838. (Adhuc duo tantum volumina edita.)

Hippocratis aphorismi. Cura Theod. *Jansonii ab Almeloveen.* Argentorati, 1756.

Claud. Galeni opera ed. *Kühn.* Vol. I—XIX. Lipsiae, 1821—1830.

Gr. G. Gruner, censura librorum Hippocrateorum. Vratislav. 1772.

Kurt Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Theil I. Halle, 1792.

G. F. Most, über alte und neue medicinische Lehrsysteme im Allgemeinen und über Dr. J. L. Schönleins neuestes natürliches System der Medicin insbesondere. Leipzig, 1841.

Aristotelis operum complures loci.

Praeter hos libros alios quoque consului, quorum nomina locis idoneis sunt indicata.

SECTIO PRIMA.

Pauca de Hippocratis scriptis et vita.

§. 1.

Hippocrates Co insula a. 456 a. Chr. n. (Ol. 60, 1) natus ab Heraclide patre ex Asclepiadarum gente de methodo morborum observandorum, herbarum conquirendarum, medicamentorum parandorum juvenis est doctus et de philosophia a compluribus tunc florentibus philosophis. Magnis itineribus factis vitam civibus artique utilissimam in Thessaliae, Macedoniae Thraciaeque litoribus insulisque degit et nonagesimo aetatis anno obiit. Accuratiores de ejus vita annotationes inveniuntur in *Sorani* descriptione in Hipp. op. ed. Kühnii III. 850—855 et in Kurtii *Sprengelii* l. c. I. 216—223.

§. 2.

Permulta quidem scripta adhuc supersunt, quae Hippocratis nomen prae se ferunt, quorum plurima quam maxime sunt spuria. Quae autem omnino genuina, quae spuria, adhuc sub judice lis est; quaedam enim eorum aliis a scriptoribus genuina, ab aliis spuria nominantur. Attamen longum est atque a proposita

materie diversum, si omnia illa scripta censura lustrare vellemus; itaque hos tantum libros diligentius evolvamus, qui ab omnibus fere commentatoribus genuini ducuntur et ubi necessarium putabimus, nostras quoque annotatiunculas quasdam criticas addamus. Id tamen jam hic occasione data dicendum videtur, omnia scripta hippocratica dicta, quae doctrinam de quatuor illis humoribus organismum animalem constituentibus docent, jam a priori spuria esse putanda, quam rem infra multis in locis considerabimus atque examinabimus.

§. 3.

Genuina vero haec scripta omnino fere putantur:

De morbis vulgaribus libri I. et III. (Ἐπιδημιῶν ά καὶ γ'). Omnes scriptores hunc utrumque librum genuinum dicunt. Cf. *Galeni* opp. ed. K. VII, 855 de difficult. respir. c. VIII. — Ejusd. XVII 1, 314, comment. II in Epidem. II et alios locos. — *Gruneri* l. c. §. IX. — *Kühnii* sententiam in Hipp. opp. I, XXXIII. — *Lilienhainii* l. c. I, 4. *Sprengelii* l. c. I, 227.

Praenotionum liber (Προγνωστικόν). Omnes scriptores genuinum hunc librum esse consentiunt. Cf. *Lilienh.* l. c. I, 69.

Praedictorum liber II (Προῤῥητικόν β'). Hic liber non sine controversia genuinus nominatur; *Galenus* ipse spurium dicit (comment. II in praed. libr. I ed. K. XVI, 625; comment. I in libr. de humor. ed. K. XVI, 202), cujus opinionem multi scriptores recentiores secuti sunt, e. g. *Grimmius*. *Hallerus* autem (Hipp. opp. ed. sec. I, 193), *Grunerus* (l. c. §. XVII)

et *Lilienhainius* (l. c. I, 85) genuinum esse praedicant, „ut ex gravitate et modestia, ex methodo et continua observationum serie facile intelligas.“ (Hallerus). Alii auream quam dicunt mediocritatem amplectuntur: *Kühnius* (l. c. I, LVIII) genuinum quam spurium censere mavult, attamen non procul dubio. Si praeter has virorum excellentium opiniones nostram quoque proferre licet, simplicitate nimirum, planitate, praecisione, firmitate et styli et sententiarum, optimarum et pulcerrimarum verae, fidae, sobriae observationis testium, ut viros illos genuinum hunc librum dicentes sequamur moti sumus, quum praesertim spurius esse pro certo affirmari nullo modo possit.

Aphorismi (Ἀφορισμοί). Omnes scriptores et veteres et recentiores genuinos esse aphorismos confirmant, excepta eorum sectione VIII, quam spuriam esse omnes consentiunt. Cf. *Lil.* l. c. I, 111, 112. Passim tamen singuli aphorismi spurii inveniuntur, ut aph. 63 sect. V secundum *Galenum* (cf. *Lil.* l. c. I, 133 [1]). Aph. 24 sect. VI (cf. *Galen.* opp. ed. K. XVIII a, 36), aph. 46 sect. VII (*Gal.* l. c. XVIII a, 153) itemque aph. 63 ejusd. sect.

De ratione victus in morbis acutis liber (Περὶ διαίτης ὀξέων). Priorem hujus libri partem dimidiam sane genuinam esse omnes concedunt commentatores, *Galenum* secuti id ipsum praedicantem (de diff. respir.

---

[1]) Qua vero ex causa *Lilienhainius* 62 quoque aph. ejusd. sect. spurium dicat, prorsus intelligere non potuimus; nam eadem, quae in hoc aph., etiam alio in loco Hippocrates docet, loco, quem genuinum dicendum ipse *Lilienhainius* minime dubitat. Hic locus est Praedict. II K. I, 219, 220. — *Lilienh.* l. c. 102, 103 sect. XXXIII et XXXIV.

I, 3 c. 6 K. VII 913); posterior autem pars morbos speciales tantum tractans ab omnibus spurius existimatur (cf. *Lit.* l. c. I, 144). Rationibus loco citato allatis hanc nostram observationem grammaticam addere velimus, quod in *genuinis* libris Hippocraticis uvula ubique γαργαρεών et ejus status ille *morbosus*, quum in apice aucta, inflata indeque rotunda fere facta est, σταφυλή nominatur (e. g. praenot. K. I, 115; epid. III aegr. VI K. I, 476), in posteriori vero *hujus* libri parte uvula *sana* utique sine exceptione σταφυλή et κιονίς dicitur (ed. K. I, 70). Unde facile cuique persuaderi putamus alium ac *praenotionum* auctorem *posteriorem* hujus libri partem scripsisse.

De aëre, aquis et locis liber. (Περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων.) Hoc opus, omnium Hippocraticorum pulcerrimum, jam Galenus genuinum affirmat, cujus sententiam omnes commentatores recentiores sequuntur, excepto uno *Hallero*, qui tamen nulla quibus haec opinio nitatur fundamenta idonea afferre potest. (Cf. l. supr. cit. I, VI.) Eodem modo hypothesis *Sprengelii* (l. c. I, 228) procul vero videtur, Hippocratem juvenem hunc librum scripsisse. Nam qui hunc librum intentus legerit, mox inveniet eum a viro longae tantum experientiae esse compositum. Et quaenam *Sprengelii* rationes? Jam permultas theorias et speculationes physicas in eo edi dicit. Cur autem Hippocrati seni fuisse illae meditationes graves summaeque negentur quae longo tantum vitae spatio elapso statui possunt? *Sprengelii* rationes a posteriori ex libri argumento deductae sese ipsas refellunt et solum ex illa opinione vitiosa derivatae videntur, Hippocratem senem visa

tantum scripsisse sine ulla penitiori cogitatione. Potestne ingenium vivere quod non cogitet?

De vulneribus capitis liber. (*Περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων.*) Omnes scriptores hunc librum genuinum dicunt. *Galenum* secuti (meth. med. VI. c. 6 K. X, 444), id tamen non omittendum est, quod ipse *Galenus* aliis in locis (prooem. comment. IV in libr. de rat. vict, in m. acut. K. V, 733) quaedam in libri hujus fine ab aliis scriptoribus esse adjecta contendit; quae additamenta tamen toti argumento contraria non sunt. Omnino hic liber signis verae Hippocraticae artis medicae notatus est.

§. 4.

Omnia reliqua scripta Hippocratica dicta non sunt genuina; quamvis eorum quaedam passim Hippocraticum quendam colorem praebeant, strictiorem tamen censuram accuratioremque lustrationem sustinere non possunt. Itaque illos tantum libros jam examinatos et genuinos dictos in explicandis Hippocratis sententiis biologicis sequemur eorumque illos tantum locos eligemus, quos genuinos esse nemo fere omnino negabit. Hoc tantum modo illa adhuc obscura materies paulo potius illustrari poterit, siquidem omnes fere historiographi in explicandis Hippocratis sententiis ejus libris promiscue sunt usi, censura aut omnino non adhibita, aut adhibita quidem, sed incredibili modo prorsus neglecta.

§. 5.

Reliquis spuriorum scriptorum auctoribus, qui nostrum thema non multum spectant, omissis, *Polybi* tantum mentionem facere necesse videtur. Qui, Hip-

pocratis gener, soceri artem medicam *Empedocleis* [1]) sententiis i. e. doctrinae de quatuor elementis accommodare studuit. Quod systema medicum in *libro de natura hominis* (*περὶ φύσιος ἀνθρώπου*) Polybos disserit. Necessarium igitur videtur librum illum paululum perlustrare. Verum autem hujus libri auctorem esse *Polybum Aristoteles* quam certissimo testimonio confirmat [2]), cujus opinionem et *Kühnius* (l. c. I, CXLVII.) et *Sprengelius* (l. c. I, 230) secuti sunt. *Galenus* hoc loco valde incertus sibi ipsi saepius non constat; itaque ejus opiniones prorsus omitti possunt.

Argumentum autem libri de natura hominis (Hipp. opp. ed. K. I, 348) hoc est: *Poly bos* postquam philosophos medicosque unam tantum materiem primariam statuentes insectatus eorum argumentationes derisit et praecipue id urguit, quod tamen ad tertiam rem gignendam certe duae primariae necessariae sint, *τὸ δέ σῶμα*, ait, *τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑωυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα καὶ χολὴν διττὴν ἤγουν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν, καὶ ταῦτ' ἐστὶν αὐτέῳ ἡ φύσις τοῦ σώματος καὶ διὰ ταῦτα ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει· ὑγιαίνει μὲν οὖν μάλιστα, ὁκόταν μετρίως ἔχῃ ταῦτα τῆς πρὸς ἄλληλα κρήσιος καὶ δυνάμιος καὶ τοῦ πλήθεος καὶ μάλιστα ἢν μεμιγμένα ᾖ· ἀλγέει δὲ ὁκόταν τι τουτέων ἔλασσον ἢ πλεῖον εἴη ἢ χωρισθῇ ἐν τῷ σώματι καὶ μὴ κεκρημένον ᾖ τοῖσι ξύμπασιν* (l. c. K. I. 352). Hi quatuor humores quatuor illa *Empe-*

---

[1]) Cujus systema philosophicum vid. in W. G. Tennemann, Geschichte der Philos. herausgeg. v. A. Wendt (Leipzig 1829) Theil I, pag. 275 - 318.

[2]) Aristot. hist. animal. lib. III. c. 3.

doclis elementa (ignem, aëra, terram, aquam) repraesentant et ut illa materias prorsus inter se diversas constituunt, sic et hi inter se diversissimi putandi, *οὔτε γὰρ θερμὰ ὁμοίως ἐστὶν οὔτε ψυχρὰ οὔτε ξηρὰ οὔτε ὑγρά* (l. c. 354). Itaque medicamenta quoque alia alios effectus gignunt, aliud pituitam, aliud bilem movens; quod autem eorum quaedam in quatuor illos humores omnes elementarios vim habere videntur, justa adversus hanc opinionem argumentatio minime potest esse, nam *τὸ φάρμακον ὁκόταν ἐςέλθῃ ἐς τὸ σῶμα πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτέῳ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ τῶν εν τῷ σώματι ἐνεόντων· ἔπειτα δὲ καὶ τἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει, ὥσπερ τὰ φυόμενα καὶ σπειρόμενα, ὁκόταν εἰς τὴν γῆν ἔλθῃ, ἕλκει ἕκαστον τὸ κατὰ φύσιν ἑωυτῷ ἐνεὸν ἐν τῇ γῇ· ἔνι δὲ καὶ ὀξὺ καὶ πικρὸν καὶ ἁλμυρὸν καὶ παντοῖον· πρῶτον μὲν οὖν πλεῖστον τουτέου εἵλκυσεν εἰς ἑωυτὸ ὅ τι ἂν ᾖ ἑωυτέῳ κατὰ φύσιν· ἔπειτα δὲ ἕλκει καὶ τἄλλα.* (pag. 356). Anni temporibus aliis alius quatuor illorum humorum praevalet, hieme pituita (*ψυχρότατον ἐόν*), ex quo hoc tempore morbi pituitosi grassantur; vere quidem pituita non extinguitur, sed sanguis vim tenet, *τά τε γὰρ ψύχεα ἐξανίει καὶ τὰ ὕδατα ἐπιγίνεται* (358); vere igitur et aestate difficultates intestinorum (*δυσεντερίαι*) et rhinorrhagiae (epistaxis) inveniuntur. Aestate vero jam bilis flava superior fieri incipit, autumno re vera principatum tenens, donec sensim sensimque bilis nigra dominam se reddit: tum pituita rursus augetur. Has ut ajunt vices illi humores habent nec unquam ullus eorum prorsus extingui potest. Quod autem anni temporibus aliis alius humorum praevalet, id argumento esse potest, quod si idem homo quatuor anni tempo-

ribus remedium emeticum accipit, *ἐμέεται τοῦ μὲν χειμῶνος φλεγματωδέστατα, τοῦ δὲ ἦρος ὑγρότατα, τοῦ δὲ θέρεος χολωδέστατα, τοῦ δὲ φθινοπώρου μελάντατα* (360). Medicamenta igitur semper humori praevalenti opponenda sunt, unde sequitur, ut morbi quos repletio parit, evacuatione sanentur et qui ex evacuatione oriuntur, repletione curentur. Ut proximae aegrotandi causae partim ratio vitae, partim spiritus, quem vivendo trahimus, considerari possunt; hae simul solae morborum epidemicorum causae, quippe quae homines omnium ordinum, aetatum, sexus corripiunt. Ceterum aegrorum diaeta quam maxime est respicienda nec unquam repente mutanda. Tunc *Polybos* ad aegros curandos in universum transit et venaesectionum utilitatem ex venarum in corpore distributione derivat, itaque angiologiam, quam rectam putat, condit (quatuor venarum paria principalia), qua tamen in re differentia inter venas arteriasque non indicatur. Ex distributione harum venarum anatomica suppurationem quoque pulmonum et vesicae urinariae, alvi fluxus etc. explicat. Lithogenesis praecipue in juvenum vesica urinaria fieri potest ob majorem calorem et illius regionis et totius corporis; *εὖ γὰρ χρὴ εἰδέναι ὅτι ὁ ἄνθρωπος τῇ πρώτῃ τῶν ἡμερέων θερμότατός ἐστιν αὐτὸς ἑωυτοῦ, τῇ δὲ ὑστάτῃ ψυχρότατος* (369). Denique febrium quatuor genera enumerantur: continentis, quotidianae, tertianae, quartanae, quarum genesis modo flavae modo nigrae bilis praevalentia efficitur.

§. 6.

Quod si Polybi explicatas et Hippocratis jam explicandas sententias compares, facile forsan inve-

neris, generum soceri experientia usum fuisse, itaque quo ad praxin et ad observationes hunc ad verbum fere secutum, sed quo ad partem libri theoreticam, Polybum prorsus aliena docere ac Hippocratem. *Galeni* igitur de Polybo judicium incertum nominandum est, quod Polybos nullum plane Hippocratis dogma videatur transmutasse in ullo suo libro. (Cf. Gal. comment. in libr. de nat. hom. ed. K. XV, 12.) Hoc *Galeni* judicio inducti complures historiographi ipsius scriptis non respectis, quin illae sententiae in libro de natura hominis depositae ipsius Hippocratis fuerint, nequaquam dubitarunt Sed *Aristoteli*, Polybi aequali, *Galenum* repugnanti (l. supr. cit.) sine dubio majorem fidem tribuere debemus, praesertim quum *Galenus* nullas prorsus certas sui judicii rationes afferre possit. Praeterea ipse Pergamensis dicit solum „*transmutasse videtur*,“ quo vocabulo „*videtur*“ subjectivam tantum *Galenus* opinionem statuit, rem incertam relinquens. Ejus igitur opinionem, quam scripta ipsa prorsus refellunt, rejiciamus necesse erit, si veritati plus quam auctoritati tribuimus.

SECTIO SECUNDA.

Hippocratis sententiae biologicae.

§. 7.

I. Biologia generalis.

Omnibus quae existunt rebus vis conservatrix innata est, ergo potestas κατ᾽ ἐξοχήν divina, quae suo arbitrio naturam extrinsecus regnet, statuenda non est (De aër. aq. loc. K. I, 561.) Hac sententia Hip-

pocrates pantheismum praedicat, non pantheismum qui materiem solam divinam, infinitam, sempiternam nominet, sed pantheismum qui una cum materia et vim materie innatam genitricem conservatricemque statuat, quarum neutra separata per se exstare potest; ubi materies ibi vim, ubi vis ibi materiem esse oportet. Itaque Hippocrates l. c. ἕκαστον, ait, ἔχει φύσιν, quibus ex verbis illa explicatio nostra quam manifestissima fit; nam vocabulo ἕκαστον significari omnes res i. e. partem omnes rei materialem, vocabulo autem φύσιν vim omni rei i. e. materiae innatam solis luce clarius est. Hujusmodi sententiae auctorem fuisse Diogenem Apolloniatem [1]) jam liquido constat, sed hic philosophus Anaximenem Milesium [2]) secutus aëra esse materiem primariam censuit, Hippocrates vero jam et aliorum recentiorum sententias philosophorum cognoscens duas diversas esse statuit materias, et ignem et aquam. His igitur rebus senex noster subtilis ac sui ingenii philosophus considerandus est; quamquam enim jam Thales Milesius [3]), Hippon Rheginus [4]), alii aquam materiem primariam docuerant, hi omnes philosophi materialisticam tantum partem cosmogeneos coluerant, dynamica minime respecta. Heraclitus quidem Ephesius [5]) ignem princi-

---

[1]) Cf. Tennem. — Wendt. l. c. I, 427 — 438 et 438 — 445. — Aristot. de anima I, c. 2.

[2]) Tennem. — Wendt. l. c. I, 71 — 73.

[3]) Tennem. — Wendt. l. c. I, 54. sq. — Aristot. metaph. I, 3.

[4]) Wendt in Tennem. — Wendt. l. c. I, 146.

[5]) Tennem. — Wendt. l. c. I, 229 — 275.

[6]) Tennem. — Wendt. l. c. I, 73 — 140.

pium esse rerum statuerat, haud procul a Pythagora [6]) recedens. Sed Hippocrates duas illas philosophiae scholas junxit, materie primaria duplici vique huic innata statuta. Quum autem re vera aquam unam illarum materiarum docuisse clare intelligemus, physiologicis pathologicisque generalibus sententiis infra examinandis. Vim autem illam definiens calorem eam esse censet; nam partim entia organisata *τῷ ἐμφύτῳ θερμῷ* conservari (Cf. aph. I, 14. K. III, 710), de quo infra nobis disserendum erit, partim mineralia eodem modo caloris vi oriri dicit. De aër. aq. loc. K. I, 534 *δεύτερα δὲ* (sc. *ὕδατα μοχθηρὰ εἶναι νομίζω*), inquit, *ὅσων εἶεν αἱ πηγαὶ ἐκ πετρέων. σκληρὰ γὰρ ἀνάγκη εἶναι, ἢ εἴ τι ὅκου θερμὰ ὕδατά ἐστιν, ἢ σίδηρος γίγνεται ἢ χαλκὸς ἢ ἄργυρος ἢ χρυσος ἢ θεῖον ἢ στυπτηρία ἢ ἄσφαλτον ἢ νίτρον· ταῦτα γὰρ πάντα ὑπὸ βίης γίνονται τοῦ θερμοῦ.* Haec theoria mineralium genitorum (et ut suspicari facile potest, omnium siderum partium solidarum) nititur Heracliti doctrina, qui unus ex Hippocratis magistris secundum Soranum erat (cf. loc. supr. §. 1 cit). Caloris enim vi tenuissimas et levissimas aquae partes fugere atque aethera petere Hippocrates censet, condensas vero depressas solidam siderum partem formare; id quod ex hoc loco sequitur de aër. aq. loc. K. I, 537, quo Hippocrates de aquis salinis loquitur: *τὸ μὲν γὰρ ἁλμυρὸν λείπεται αὐτέον ὑπὸ παχέος καὶ βαρέος καὶ γίγνεται ἅλες· τὸ δὲ λεπτότατον ὁ ἥλιος ἀναρπάζει ὑπὸ κουφότητος, ἀνάγει δὲ τὸ τοιοῦτο οὐκ ἀπὸ τῶν ὑδάτων μόνον τῶν λιμναίων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς θαλάσσης.* Hoc ex loco id quoque apparet Hippocratem caloris macrocosmi sedem fontemque solem considerasse, cui opinioni et alius locus

documento est: *ὁ ἥλιος ἀνάγει καὶ ἀναρπάζει τοῦ ὕδατος τὸ λεπτότατον καὶ κουφότατον* (ibid.). Sin autem has sententias etiam accuratius examinamus, necessaria ut opinor consecutione statuemus Hippocratem, *solem* coloris fontem considerantem, *ignem* esse illam materiam credidisse, cui vis illa genitrix conservatrixque innata sit. Res si ita se habet (id quod vix dubitandum), Hippocrates in ipsa ea re iterum Heraclitum magistrum secutus esse videtur, secundum quem igni omnes naturae commutationes efficiuntur [1]. His in sententiis Hippocratis de pluviae, nebularum *aërisque* genesi opinio posita est; partes enim aquae exhalatae crassiores aër et nebula fiunt (*γίγνεται ἠὴρ καὶ ὀμίχλη*, l. c. 538), leviores autem in sublime feruntur, ventis inter se adversariis colliguntur eoque nubes formantur, quae ventis contrariis agitatae sensim sensimque condensatae pondere deorsum feruntur in imbrem conversae (l. c. 538).

Quae hucusque sunt dicta obiter repetentes Hippocratem duas materies primarias statuisse videmus et aquam ut mutabilem (ut matrem si velis) et ignem ut mutatorem (ut patrem), sed ea tantum ratione mutatorem, quod vis illa primaria sedem in igni teneat. Mutua illarum materiarum penetratione, quae ipsa caloris vi efficitur, omnia sunt genita omnesque naturales eventus oriuntur. Eandem esse rationem animantibus organisatis infra demonstrabimus.

Simul ex omnibus quae hactenus sunt dictae sententiis Polybos quibusdam in rebus soceri opiniones

---

[1]) Aristot. Metaphys. I, 3.

secutus esse videri potest, castigans enim in initio libri de natura hominis eorum philosophorum opiniones, qui unum tantum materiem esse primariam statuerant. (Cf. supra.)

Hactenus genuina nos scripta duxerunt. Ex eo ipso historiographorum plurimorum et ipsius *Galeni* placitorum vanitatem cognoscere potes, quasi Hippocrates doctrinam de quatuor elementis aut primus invenisse (ut *Galenus* falso censet) aut saltem coluisse artique medicae accommodasse. Ne ullum quidem hujus placiti vestigium in genuinis Hippocraticis libris invenire potuimus. Cous enim nec terram nec aërem elementa agnoscit, sed ut jam supra ostendimus, ambas illas res ex aqua tandem derivatas censet. Itaque Hippocrates multo longius ab Empedoclis quam ab Joniorum philosophia abesse videri potest, attamen nulli systematum jam editorum prorsus deditus fuit, nam et de Heracliteo recessit, quod aquam materiem, ignem vim primariam statuerat, Hippocrates autem aquam et ignem materies primarias esse, vim vero primariam igni solum junctam censet.

Hoc ex systemate non solum, sed ex omnibus illius temporis quaestionibus philosophicis justa ratione magni astronomiae in artem medicam momenti opinio Hippocratis derivanda est (Cf. de aër. aq. loc. K. I, 525). Omnibus enim tunc temporis philosophis cosmogenesis perlustranda, siderum cursus designandi omnesque macrocosmi rationes statuendae summae erant curae eoque fiebat, ut astronomia illorum non tantum de sideribus terraque ut planeta doctrinam, sed etiam geognosiam nostram, geologiam, geographiam, meteorologiam, physicen, ergo et doctrinam de

terrae motibus, de ventis, anni temporibus, calore, ejusmodi alias res complecteretur. Haec nobis ilius placiti Hippocratici causa videtur, non illa, quam *Sprengelius* (l. c. I, 239) memorat, qui placitum illud ex Hippocratis comparatione diversarum hominum aetatum cum anni temporibus derivat. *Sprengelius* tamen causae effectum cum ipsa causa confundit; nam ipsa illa comparatio tandem consecutio illius aetatis philosophiae erat, non causa, microcosmi tandem rationibus ex macrocosmicis explicantis.

Itaque Hippocrates (l. c. 525) medicis anni temporis mutationes observandas atque astrorum ortus et obitus cognoscendos quam maxime commendat, quandoquidem his rebus cognitis futurum anni statum praevidere, ergo et morborum constitutionem annuam praestituere possent.

§. 8.

II. Biologia specialis.

A. Physiologia generalis corporis animantis.

Sententias §. 7 explicatas Hippocrate sad physiologiam corporis animalis adhibere studet. Corpus autem animale primo *τῷ ἐμφύτῳ θερμῷ* praeditum esse censet (aph. I, 14, K. III, 710), quo loco addit omnia crescentia plurimum caloris habere, senes autem parvi tantum caloris participes esse, quam sententiam alio quoque loco (epid. I sect. II stat. II K. III, 396) repetit et Polybos in libro de natura hominis acceptam praebet. Hippocrates vero calorem universalem et corporis humani specialem igneae cuidam materiae innatam censuisse a nobis jam supra est dictus: quae opinio alio loco comprobatur. In illo enim aphorismo

(I, 14. l. c.) (*τὰ αὐξανόμενα*) *πλείστης οὖν*, inquit, *δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. γέρουσι δὲ ὀλίγον θερμόν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται· ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται.* Quo loco vocabula *ὑπέκκαυμα* (fomes) et *ἀποσβέννυσθαι* (extingui) maxime proprio sensu dicta accuratissime sunt examinanda. Focus igitur quo calor oritur, ventriculus est; sed omnino ut quisque ignis nimis largis et quasi immanibus alimentis (i. e. fomite) extinguitur, sic et corporis ignis, i. e. ignea materies calorem gignens (i. e. ipse calor) liberaliore coena (i. e. corporis fomite) extingui potest, praecipue in senum corporibus, quibus ceteroquin calor minimus inest. Contra si alimentorum (i. e. fomitis) nihil ventriculo praebetur, igni, siquidem semper comburendi aliquid habeat necesse est, ipsum ventriculi textum aggresso, corpus consumitur (*ἀναλίσκεται*). Haec nostra hujus loci explicatio loco quodam libri de rat. vict. in m. acut. K II, 30 confirmatur, quo de *decocto* hordei (*πτισάνη*) Hippocrates disserit: *οὔτε ἀνοιδίσκεται ἐν τῇ κοιλίῃ, ἀνῴδηνε γὰρ ἐν τῇ ἑψήσει ὁκόσον πλεῖστον ἐπεφύκει διογκοῦσθαι.* Unde sequitur, ut Hippocrates ciborum coctionem artefactam et ventriculi concoctionem (i. e. chymificationem) similes inter se effectus esse censuerit; decoctum enim hordei, quod jam coctione arte facta quam maxime intumuit, non amplius in ventriculo intumescit. Praeterea alius jam locus eandem fere exhibet sententiam in libro de aër. aq. loc. K. I, 527, corporis scilicet animalis calorem igni quodam innato gigni: hic enim Hippocrates docet: *πλευρίτιδες δὲ καὶ περιπνευμονίη καὶ καῦσοι καὶ ὁκόσα ὀξέα νοσήματα νομίζονται, οὐκ ἐγγίνονται πολλά. οὐ γὰρ*

οἷόν τε ὅκου ἂν κοιλίαι ὑγραὶ ἔωσι, τὰς νούσους ταύτας ἰσχύειν. Humiditate ergo his in corporibus adeo praevalente, ut organorum (imprimis ventriculi) textus *inflammari* non possint, illi *acuti* morbi non possunt oriri. Iisdem fere sententiis Hippocratis criseologia nititur, quae infra nobis illustranda erit.

Humiditates vero corporis animalis triplices Hippocrates statuit easque mutabiles aliarumque genitrices: sanguinem enim ac bilem et flavam et nigram. Locorum hanc opinonem confirmantium multitudo tam ingens est, ut eos enumerare necessarium minime videatur. At ubi pituita? Jam supra commentatorum sententiam Hippocratem quatuor corporis animalis humores elementarios docuisse rejecimus; nunc autem occasio est data, ut ipsius Coi verba praedicemus, ex quibus pituita bilis flavae motibus et mutatione gigni potest videri. Locus est in libr. de rat. vict. in m. acut. K. II, 59: *αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρουσι. τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται καὶ ἐκφλεγματοῦται μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτέου* (sc. *ὄξεος*). Similem inveneris locum in praenot. K. I, 109: *οἷσιν ἂν περὶ τὰ ὑποχόνδρια τοῦ φλέγματός τι ἐγγίνηται* [1]) At quaeras, quonam modo illa de uno fluido primordiali doctrina supra explicata cum hac ipsa memorata de triplicibus corporis ani-

[1]) Ut commentatoribus [*Kühnio*, *Grimmio*, *Lilienhainio*] vocabulum *φλέγμα* inflammatione vertentibus assentiamur, tantum abest, ut in omnibus fere locis Hippocratem pituitam illo vocabulo respexisse contendamus. Hippocratis l. c. dicit: si in hypochondriis multa pituita gignitur (i. e. si multa bilis flava in pituitam mutatur), inferiores corporis partes metastasibus afficiuntur. Inflammatio vero ab Hippocrate vocabulo *φλεγμονή* designatur, e. g. praenot. K. I, 93 et mult. al. loc.

malis humoribus sententia concruere possit? Haud immerito. Nosmet ipsi eadem de re inquisivimus, nunc hac occasione partem ab Hippocrate relictam nos invenisse ingenue confiteri decet. Sed ne obliviscaris Hippocratis sententias de rebus theoreticis ex practicis tantum libris colligi posse neque ullum esse genuinum librum de ejusmodi materiis specialiter tractantem. Etsi ergo nobis fortasse ducentis amplius saeculis elapsis pars illa in libris Hippocratis omissa videatur, haudquaquam sequitur, ut ipse Hippocrates hanc rem sibi non explanarit. Forsitan Cous triplices illos humores unius tantum fluidi primordialis modificationes esse duxerit. Quod si non certum probabile tamen videatur: Heracliteis saltem principiis alienum non fuerit. Quocumque autem modo haec res sese habet, id quidem procul dubio est, Hippocratem sanguini, bili flavae et nigrae magnam tribuisse vim, sed non minorem pituitae, certo fere aequalem ac illis tribus humoribus (legas tantum libr. I et III de epid.): atqui ipse pituitam esse tandem genitam materiem, non primarium fluidum concedit: ergo haud procul a vero is aberraverit, qui statuendum esse putet, Hippocratem ipsum docuisse tres illos humores derivatas tantum ex uno primordiali fluido materias esse. Forsitan Cous unum illud primordiale fluidum sanguinem esse censuit, quam ipsam opinionem eo fortasse confirmare possis, quod tria tantum temperamenta in genuinis Hippocratis scriptis nominata invenies, melancholicum enim (de rat. vict. in m. acut. l. c.), cholericum (πικρόχολος. — ibid. et libr. cit. K. II, 43) et phlegmaticum (libr. cit. K. II, 43): sanguinici nusquam librorum genuinorum mentionem videbis. Pro-

babilis ergo opinio fuerit, Hippocratem temperamentorum varietates ex derivatis tantum et genitis fluidis petiise, sanguinicum autem non statuisse, quippe, qui sanguinem fluidum primordiale duxerit. At haec quidem omnia merae hypotheses semper manebunt.

At hoc quoque aliquis nobis objecerit, quod Polybos, quem systema a socero diversum habuisse jam supra diximus, Hippocratis systema prorsus silentio transierit, id quod minime fecisset, si utrinsque systema tam diversum fuisset. Sed magna Hippocratis fama reputata ingentique discipulorum caterva temere dedita, invenies generum diversam a socero doctrinam disseminaturum prudentius nil facere potuisse, quam in socerum non directe invehi, qua re invidiosi et pusilli animi nomen sine dubio subiisset. Alio modo Hippocratis sententiarum omissionem apud Polybum explicare non possumus opinioque nostra fortasse eo plus etiam probabilitatis accipere videtur, quod Polybos omnino in eorum tantum sententias invehitur, qui *unam* esse *materiem* primordialem statuerant. At jam ante Polybum et Empedoclea alios philosophos complures materies primordiales posuisse jam liquido constat, ut Leucippus [1]) et Democritus [2]) atoma, Anaxagoras [3]) homoeomerias docuerant. Polybi igitur non magni interfuit, ut alii plura vel pauciora quatuor elementis statuissent; ei suffecit, si quis non unum statuerat.

Praeterea hoc caput duae etiam res attingunt, momentum quod Hippocrates macrocosmicis et terrestribus rationibus et quod consuetudini in corpora

---

[1]) Tennem. — Wendt, l. c. I, 318—336.

[2]) Tennem. — Wendt, l. c. I, 336—368.

[3]) Tennem. — Wendt, l. c. I, 368—426.

animalia attribuit. Quod attinet ad priorem rem, eam ipsam Hippocrates in omnibus suis libris quam maxime exposuit, quae res justa ratione ex illius temporis philosophia orta jam supra est demonstrata, simulque hac ipsa re Coum immortalem esse factum, etsi aliud nil reliquisset. Et libri de morbis epidemicis, praecipue autem liber de aëre, aquis et locis hanc materiam tractant, quare singulos locos nominatim adnotare necesse non videtur. Placita tantum de frigoris vi breviter considerentur. Corporis partium statum contractum frigoris vim efficere censuit, quin etiam bovibus terrarum septentrionalium ex eadem causa cornua non esse (de aër. aq. loc. K. I. 556) et ipsum Scytharum colorem flavum frigoris vi ortum dicit, cum ad eos sol vehemens non accedat: *ὑπο δὲ τοῦ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται καὶ γίγνεται πυῤῥή* (l. c. K. I, 560). Ergo cutis albitudinem esse summam ejus evolutionem duxit, ejus flavedinem esse imperfectiorem. Memoratu autem dignum videtur, quod Hippocrates *frigori* combustionem cutis attribuit, non soli (*ὑπό ψύχεος ἐπικαίεται*), quam rem ex illa observatione forsan derivavit, quod hieme frequentissimas pneumonias aliosque morbos acutissimos, i. e. *inflammationes* oriri viderat. Simul solem albitudinem cutis efficere tenendum nobis est et opinio nostra supra explicata eo confirmari potest, secundum quam Hippocrates vim igni innatam omnium genitricem conservatricemque esse statuerit.

Consuetudinis in organismos vim Hippocrates magnopere respicit (et in aegrotos, quod tamen huc non spectat). Sed illud hujus loci est, quod varieta-

tem quandam craniorum Macrocephalorum [1]) genti vulgarem ex pristino ejus gentis abusu neogonorum crania comprimendi deducit: abusus quidem ille Hippocratis temporibus jamdudum abolitus erat, sed neogoni „longis capitibus“ pariebantur, quia *νῦν δὲ καὶ ἡ φύσις ξυμβάλλεται τῷ νόμῳ* (de aër. aq. loc. K. I, 550.)

§. 9.

B. Physiologiae specialis rudimenta.

Certo nemo completum physiologiae compendium exspectabit; quae in genuinis libris hac de materie invenire potuimus, collegimus. Quum autem physiologia solum anatomia niti possit, primo ea, quae de anatome apud Hippocratem invenerimus, breviter exponemus et statim ab initio hanc addemus annotationem, *Sprengelii* de Hippocratis anatome opiniones non solis Hippocraticis libris genuinis esse conditas, sed et Polybi sententiis mixtas.

Hippocrates autem loquitur de ossibus, praesertim cranii (de capit. vuln. libr.), de intestinis abdominalibus cum diaphragmate (aph. VI, 18 K. III, 752. — Praenot. (138) K. I, 110), de trachea (*βρόγχος*. — aph. VI, 37 K. III. 754 [2]), de bronchiis et pulmonibus

---

[1]) Nostro tempore Mingrelia, in Caucasi montis ascensu meridionali et mari Caspico sita.

[2]) Hujus aphorismi argumentum secundum *Kühnium* est: *ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἰδήματα γενέσθαι ἐν τῷ βρόγχῳ ἔξω ἀγαθόν*, quem „in angina detento, si tumor in *cervice* oriatur, bonum; foras enim morbus vertitur,“ *Kühnium* vertisse intelligere non possum. Aperte enim ut credo Hippocrates: „si in angina detento, ait, tumores in *trachea* foras oriantur, bonum“ i. e. angina potest in tumores finiri,

(de rat. vict. in m. acut. K. II, 34), corde (aph. VI, 18 K. III, 752), de partibus genitalibus (var. loc). De singulis musculis raro disserit, sed disserit tamen (e. g. aph. VII, 36 K. III 760, *τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους* [2]), alioquin de carne generaliter docet (*σάρκες*, ut aph. V, 16 K. III, 740) et de ejus tendinibus (*νεῦρα*, aph. V, 16 K. III, 740 [3]). Etiam cerebri cognitio Hippocratem non fugit, sed pituitae coagulationem habuisse videtur (cf. praedict. II K. I, 198. — aph. VII, 30 K. III, 759); dura quoque mater (*μῆνιγξ*, de cap. vuln. K. III, 375) et medulla spinalis (aph. V, 18 K. III, 741) res ei non ignotae erant. Praeter linguam et nares oculos quoque (praedict. II K. I, 211—215) et organon auditus (de cap. vuln. K. III, 349) noverat. Minima autem rudimenta de Hippocratis angiologia in genuinis scriptis invenimus. Arteriarum quidem et venarum differentiam fere prorsus ignorat, itaque omnia vasa sanguinifera *φλέβας* nominat et de magnis vasis, quae sint in collo et inguinibus, loquitur promiscue (praedict. II K. I, 205, quo in loco

---

is autem exitus bonus habendus, quo hi tumores in *exteriori tracheae latere* (nempe non in interiori) oriuntur. *Kühnius* falsa illa lectione, quam e. g. editio aphorismorum *Jansonii* exhibet, inductus errasse videtur. Re vera autem anteriorem colli partem (non cervicem) intelligendam esse confirmatur aph. VII, 49 K. III, 762 et praenot. (171) K. I, 115 (*καὶ μὴ παλινδρομέῃ τὸ ἐρυσιπέλας εἴσω.*)

[1]) Quem locum *Sprengelius* neglexisse videtur, nusquam Hippocratem vocabulo „*μῦς*" uti, i. e. nusquam de singulis musculis disserere dicens.

[2]) Praeterea vocabulo *νεῦρα* et nervos et ligamenta Hippocratem significare invenies, si conferre velis alios locos: nervos (aph. V, 18 K. III, 741), ligamenta (aph. VII, 28 K. III, 759. — praedict. II, K. I, 210.)

ea pronunciatione venae arteriaeque intelligendae sunt) de venis brachialibus cutaneis (*αἱ φλέβες εἴσω*, aph. VI, 36 K. III, 754 et de arteria temporali *φλὲψ κοιλή τε καὶ ἰσχυρή*, de cap. vuln. K. III, 350). Locus postremo citatus gravissimus est habendus; quamvis enim, ut jam diximus, Hippocrates arterias venasque stricte non discernat, verba *κοιλή τε καὶ ἰσχυρή* illo loco addita arteriam temporalem significantia clare ostendunt, eum sane differentiam quandam reperisse. Qui locus etiam aliam rem illustrat. *Coum scilicet ipsum sectiones fecisse*; nam vasa cava non sunt nisi arteriae, arteriae ipsae non cavae nisi in cadaveribus. Sin autem arteriae temporalis diversum in hominibus et animalibus decursum respicias, Hippocratem *ipsorum cadaverum humanorum* sectiones fecisse forsan non negabis. Id quod hanc opinionem confirmare potest, invenies in epid. III sect. III stat. pestil. K. III, 487, quo loco Hippocrates de volvulis vel intussusceptionibus (convolutionibus) intestinorum disserere videtur dicens: *στρόφοι καὶ ἀνειλήσιες κακοήθεες* (cf. etiam *Grimm. — Lilienh.* l. c. I 55 et annot. 2 ibid.). Sed Hippocrates his de rebus disserere non potuit, nisi ipsis oculis vidit; at si vidit, sectiones cadaverum humanorum fecisse oportet. Adjuvat autem hanc opinionem alius quoque locus (praenot. K. I 106, 107). ubi de „empyematibus" loquitur (quo vobabulo et empyema nostrum et vomicam et excavationem tuberculosam significasse videtur), quod non potuisset, nisi cadavera dissecta ipse inspexisset. At contra *Sprengelius* (l. c. I, 231) Hippocratem omnino sectiones anatomicas, minime autem in hominum cadaveribus instituisse negat, id quod legibus Graecorum probare

posse sibi videtur, quibus omnis cadaveris laesio graviter vindicaretur. Quae causa minime sufficit: quid enim plebis superstitionem is medicus respexerit, qui plebem deos ob morborum tantum timorem venerari ausus est dicere? (Cf. de aër. aq. loc. K. I, 561). *Sprengelius* quidem opinionem suam eo affirmare vult (l. c. I, 242), quod Hippocrates utero feminae humanae gravido cotyledones inesse docuerit; id quod ex nostra quidem opinione nil aliud probare potest, quam sectiones feminarum gravidarum ab eo non esse factas. Quae res eo credibilior fit, quum et nostris temporibus raro tantum medicis tales sectiones instituere contingat.

Concoctionem autem ciborum et assimilationem jam supra §. 8 paucis attigimus, ubi illam functionem ignis corpori innati vi fieri Hippocratem censuisse ostendimus. Restat ut alium quendam locum afferamus similia exhibentem ex libr. de rat. vict. in m. acut. K. II, 41, Hippocrate de iis qui bis per diem coenare non consueti sunt disserente: *ἐνίοισι δὲ καὶ σπατίλη γένοιτο ἂν, ὁκόταν παρὰ τὸ ἔθος ἀχθοφορήσῃ ἡ κοιλίη εἰθισμένη ἐπιξηραίνεσθαι καὶ μὴ δὶς διογκοῦσθαι μήτε δὶς ἕψειν τὰ σιτία.* Quo ex loco justa ratione concludi potest, Hippocratem assimilationem ventriculi duas in partes dividisse, alteram ventriculi extensionem (nostram rotationem circum axin majorem), alteram propriam ciborum coctionem (i. e. concoctionem), de qua vide supra §. 8.

Nostrae autem opinioni, Coum scilicet vim corpus animantem igneae cuidam materiae insitam esse putasse, fundandae maxime inservit explicatio sternutationis, qua-

lem invenimus aph. VII, 51, K. III, 762: *πταρμός*, ait, *γίγνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ· ὑπερχεῖται οὖν ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω.* Ergo Hippocrates cerebro cranii cavitatem non prorsus expleri (argumentum si vis ulterius sectionum institutarum) et spatium vacuum (*τὸ κενόν*) aëre tantum repletum esse minime ignorat. Aër vero ille cerebro calefacto (i. e. extento) aut humiditatibus cerebri accumulatis, ex loco suo movetur et extra effunditur, strepitum autem facit, quia per angustum transit (*ψοφεῖ δὲ ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτοῦ ἐστιν*, ibid.).

Hippocratem vero et consensus organorum non fugit; itaque loquitur de consensu uteri et mammarum (aph. V. 50, K. III, 746), hepatis et intestini recti (aph. VI, 11, K. III, 751), uteri et primarum viarum (aph. V, 61, K. III, 747. — V. 32, K. III, 743. — ibid. aph. 52. 53). Explicare quidem sibi et vere intelligere illam rem non potuit, nervorum decursus et functiones fere non cognoscens, sed rem fieri scivit.

Quin etiam notionem, obscurissimam quidem, de resorptione habuisse videtur; dicit enim aph. VII, 54 K. III, 763: quibus inter diaphragma et ventriculum pituitam (pus?) est, quae in neutram cavitatem (nec thoracis nec abdominis) transit, *τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τοῦ φλέγματος*, iis morbis solutio fit.

Sententiae vero Hippocratis de partium genitalium functionibus multo melius intelligere possumus. Pristini philosophi semen virile ex certa quadam corporis parte ortam docuerant, ut Pythagoras et Alcmaeo ex cerebro; Hippocrates autem in libr. de aër. aq. loc. K.

I, 551, ὁ γόνος, ait, πανταχόθεν ἔρχεται ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρὸς τοῦ σώματος, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός. Ea ex causa calvus calvum, caesius caesium, strabo strabonem, macrocephalus gignit macrocephalum, semine ex omnibus corporis partibus proveniente [1]. — Semen in uterum venit, qui siccus tantum et mollis ac neque contractus neque proclivis [2] neque ore compresso aut distorto aut diducto ad concipiendum idoneus est (praedict. II. K. I, 219. — Cf. de aër. aq. loq. K. I, 560). Ergo os uteri Hippocrates cognovit, ipsum autem uterum humanum bicornem putavit, nam puellas in sinistro, pueros in dextro ejus latere gestari dicit (aph. V, 48. K. III, 745 [3]) — cf. aph. V, 38 K. III, 744 et praedict. II. K. I, 221). — causam menstruationis (καταμήνια, ῥόος γυναικεῖος, ἐπιμήνιος κάθαρσις sive simpliciter κάθαρσις) nusquam memorat, sed optime ejus aberrationes notavit: rhinorrhagiam vicariam (aph. V. 33 K. III. 743), haematemesin vicariam (aph. V. 32, K. l. c.) et menstruationem per graviditatem persistentem (aph. V. 60, K. III. 747). Quum uteri mammarumque consensum

---

[1]) Hippocratem pueros ex dextri testiculi semine, puellas ex sinistri gigni docuisse arbitraria est *Sprengelii* hypothesis: loco enim, quo scriptor ille nititur, nil de ea re exhibet (aph. V. 48), quem statim explicaturi sumus.

[2]) *Προπετές.* Fortasse hoc vocabulo *retroversio* uteri (non antroversio, ut vult *Lilienh.* l. c. I., 102) significatur; proclivis scilicet observatori inquirenti.

[3]) Hic est locus modo in annotatione [1]) citatus, quo *Sprengelius* ad hypothesin illam faciendam falso est usus: nam aphorismus hic est; *ἔμβρυα τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσιν μᾶλλον.*

observasset, ut supra dictum est, justus ei eventus videri debuit, quod, lacte in feminae nec gravidae nec puerperae mammis genito, necessario amenorrhoea fiet, (aph. V. 39, K. III. 744.) — Conceptione vero facta, os uteri clauditur (aph. V, 51, K. III, 746); utero autem gravido et humano cotyledones inesse (ut in utero gravido animalium ruminantium) Hippocrates opinatur (aph. V. 45, K. III. 745 [1]). Si hae cotyledones pituita nimis repletae gravescunt et de uteri parietibus abrumpuntur [2]), id quod praecipue secundo et tertio graviditatis mense accidere potest, abortus fit, qui sane ex aliis quoque causis fieri potest, ex diarrhoea (aph. V, 34. K. III, 743), ex tenesmo (aph. VII, 27. K. III. 759), ex universali praeternaturali corporis emaciatione (aph. V, 44 K. III. 745), ex extenuatione febri quadam facta (aph. V. 55, K. III, 746). Sterilitatis quoque causas Hippocrates notat et locales et universales corporis. Causa vero localis praecipue os uteri conclusum est habendum, conclusum autem est, si portio uteri vaginalis dura est. (aph. V. 54. K. III, 746). Haec conclusio praesertim obesis feminis accidit, omento adipe repleto os uteri comprimente (aph. V. 46, K. III, 745); secunda vero causa localis est nimis dura et stricta uteri fibra et nimia aut justo minor humorum in utero quantitas: tum enim semen in terram ut par esset matricem non

---

[1]) Qui locus ejus tantum rei testis esse potest, Hippocratem gravidas non dissecuisse (vid supr.)

[2]) Ἀλλ' ἀποῤῥήγνυνται (sed abrumpuntur,) sc. cotyledones. *Lilienhainius* falso vertit: „sondern sie reisst sich loss" (sc. die Frucht). At ut foetus quoque abrumpatur, tandem cotyledonum abruptione efficitur.

pervenit (aph. V. 62. K. III, 747.) Universalis vero sterilitatis foemineae causa prima nimia corporis obesitas ducenda est, quam secundario tantum modo os uteri claudere posse jam supra diximus; secunda leucophlegmatica corporis foeminei ratio, quae tamen etiam secundario modo sterilitatis fons est, nam adipe os uteri claudit, i. e. adipe deposita os uteri clauditur, quam depositionem leucophlegmatia illa efficit (de aër. aq. loc. K. I 560 [1]).

Denique huc spectat explicatio Hippocratis de genesi varietatum partium internarum corporis animalis anatomicarum, quas praecipue in Asia repertas dicit et in libidinem omnes refert, quum in Asia omnia magis varia et luxuriosa et libidinosa coeli varietate, terrae luxuria annique temporum aequabilitate fiant (de aër. aq. loc. K. I, 549. [2]).

---

[1]) Ita intelligo verba Hippocratis l. c. *τὸστόμα τῶν μητρέων ὑπὸ πιμελῆς ξυγκλείεται.* Neque consentire possum *Kühnio* hoc modo vertenti „os uteri *prae pinguetudine* concluditur.“ Non enim obesitate universali, sed adipis depositione, quae tandem illa obesitate et pinguetudine efficitur, os uteri concluditur. Si *Kühnii* commentatio justa esset, certe articulus in contextu graeco esset positus (*ὑπὸ τῆς πιμελῆς*). Caeterum significat *πιμελή* notionem concretam adipis, pinguetudinis autem notionem abstractam vocabulum *πιότης*, illo ipso citato loco ab Hippocrate adhibitum. Etiam *Grimmius-Lilienh.* (l. c. I, 208) *Kühnii* versionem secuti sunt vertentes: „*Das Fett* verschliesst den Muttermund“ (hoc esset: „die allgemeine Fettigkeit,“ sed justa fuisset haec versio: „*Fett* verschliesst den Muttermund,“ articulo et in graeco contextu non posito.)

[1]) Verba graeca sunt: *διότι πολύμορφα γίνεται τὰ ἐν τοῖς θηρίοις* (itaque multiformes fiunt *partes* animalium *internae.*“ Etiam hic *Kühnii* versionem probare non possum: „ideoque multiformes in feris *partus* gignuntur.“ Notio generalis „*τὰ ἐν τοῖς θηρίοις*“ partus corum

§. 10.

C. Pathologia generalis.

Hippocrates aetiologiam et symptomatologiam morborum multo magis quam pathogeniam respexisse jam liquido constat. Praesertim anni tempora (*αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα*, aph. III, 1. K. III, 719.) tempestatis constitutionem, coeli rationes et universales eventus cosmicos ut frequentissimas morborum causas urget quosque morbos his ex causis oriantur, ostendit. Tum nec consuetudinem negligit et maximas mutationes rationis vivendi potissimum morbos parere dicit (de rat. vict. in m. acut. K. II, 43). Denique magnum legibus civilibus publicis attribuit momentum, cur homines multis morbis afficiantur. Nec mirandum Hippocratem, liberum liberae Graeciae firmae illius ac robustae reipublicae filium, Asianorum effeminationis causam in principatu despotico positam esse censuisse (de aër. aq. loc. K. I, 553, 554. — ibid. 565.) Illa quoque res non praetereunda est, quantopere plebis superstitioni evehatur, quae morbos a diis immissos opinetur nec videat, omnia naturali modo fieri: plebem enim ex morborum timore ita agere, ut Scythae tabem testiculorum, quae impotentiam efficiat, divinae esse orginis putent, quia

---

(i. e. foetus) significare demonstrari non potest: certo sane *τὰ ἐν τοῖς θηρίοις θηλείοις* dictum esset et ipso hoc in casu notio quam maxime vaga et incerta fuisset. Etiam multo minus *Grimmii-Lilienhainii* versio probari potest (l. c. I, 202), „daher man auch bey den wilden Thieren so viele *Abarten* findet.“ Notio „Abart“ *exterioris formae* sive speciei varietatem significat, sed hoc loco Hippocrates de *interioribus* animalium partibus (*τὰ ἐν τοῖς θηρίοις*) loquitur.

eundem morbum metuant (de aër. aq. loc. K. I, 561), quam autem ex causa rheumatica (e coxarthrocace rheumatica) et ex continua equitandi exercitatione Hippocrates derivat. Haec quoque addit, si morbi re vera divinae originis essent, divites multa sacrificia offerentes ab iis non tentatum iri, *εἰ χαίρουσιν οἱ θεοὶ καὶ θαυμαζόμενοι ὑπ' ἀνθρώπων καὶ ἀντὶ τουτέων χάριτας ἀποδιδοῦσιν* (l. c.), pauperes vero saepius; id quod tamem fieri non solet.

Restat una tantum materies ex pathologia generali petenda, criseologia enim Hippocratis paucis ex pathogenia juncta. Sententiae vero ejus pathogeneticae pathologiam quam dicimus humoralem demonstrant; ubi irritatio, ibi humorum affluxus (*πολλὰ κόπρανα διῆλθε σὺν περιῤῥόῳ πολλῷ* epid. III, sect. III, aeg. XVI, K. III. 510); irritatio vero macrocosmi rationibus efficitur et humores mutat, alium alio anni tempore, coelo, tempestate etc, ut alius alii humori praevaleat (aph. III. 1—23, K. III, 719—724. — cf. tot. de epid. libr. I et III). Humores petunt organon, quod causis morbiferis maxime est expositum, ergo *ῥεύματα δριμέα* (fluxiones acres) ad pharyngem et fauces phthisicorum (epid. I, sect. I, K. III, 385. — epid. III, sect. II, aeg. VI, K. III, 476 etc.) Vere frigido, aquilonio, pluvioso, nubilo observandae erant *περίῤῥοιαι χολώδεες*, *ὑδατώδεες*, *ξυσματώδεες*, *πυώδεες*, *στραγγουριώδεες* (epid. I, sect. II, K. III, 388.) Quarum sententiarum complures Polybum in libro de natura hominis secutum esse jam supra vidimus et Hippocratem ipsum criseologiam ex iis petiisse nunc ostendamus, Crisis enim materiae morbiferae, i. e.

humoris aegroti coctione efficitur, quae opinio justo modo ex illa jam supra demonstrata de concoctione ciborum doctrina sequitur nec vocabulum πεπασμὸς figurate intelligendum est. Materie enim illa ignea organismum animante fluida aegrota, cruda (ὠμὰ epid. I, sect. I, K. III, 585), antea acria edulcorantur (nam omnia coquendo edulcorantur, de aër. aq. loc. K. I, 538), tum organa non amplius ab iis laeduntur et sanitas redit. Id temporis momentum, quo coctio illa fit, Hippocrates *κρίσιν* appellare solet; coctione non effecta, crisis aut omnino negligitur aut incompleta fit.

Hactenus pathologiae hippocraticae rudimenta. Specialis pathologiae et therapiae lineamenta huc minime spectant.

SECTIO TERTIA.

Quorundam aliorum de Hippocratis biologia scriptorum sententiarum brevis recensio.

Hippocratis sententiis biologicis, quas in genuinis ejus libris expositas invenimus et quae adhuc scriptores fugisse videntur, explicatis, paucissimis tantum verbis aliorum opiniones afferamus et examinemus et quam procul a vero abhorreant inquiramus. Nam compilatoris namen certo subiremus, si illorum scriptorum verba integra exponeremus. Non nisi eas igitur opiniones accuratius exponemus et impugnabimus, quae ex nostra quidem sententia nimis a vero aberraverint, lectorem ad ipsos virorum allatorum libros legendos delegantes.

§. 11.

KURTII SPRENGELII SENTENTIAE.

Cf. K. Sprengel. Geschich. der Arzneikunde, I Thl. pag. 223—252.

Quum *Sprengelius* is maxime scriptor sit, cujus libri ut historiae medicae studiorum fontes plerumque adhibentur et quum omnes recentiores historiographi eum ad verbum fere saepius sequi soleant, jam nobis ad absolvendam nostram dissertationem necessarium visum est, quasdam ejus opiniones accuratiori expositioni subjicere. Omnia autem jam citata repetere longum neque necessarium est; ea tantum hic afferamus, quae nondum sunt memorata.

Primum vero eumque gravissimum errorem hunc offendimus, quod *Sprengelius*, licet pag 227 et 228 genuina Hippocratis scripta enumeraverit (ubi tamen quaedam genuina dicuntur, quae certo spuria sunt existimanda), tamen nullo adhibito discrimine suarum opinionum fundamenta etiam ex iis scriptis depromit, quae ipse spuria dixit. Ita ipse pag. 219 librum de natura hominis certo a Polybo esse compositum dicit Aristotelem secutus; attamen ex hoc ipso libro opinionem petit, jam Hippocratem doctrinam de quatuor illis humoribus docuisse (pag. 238): item eodem iterum utitur libro, ubi Hippocratis angiologiam (p. 233. sq.) exponit. Nihil aliud autem profert quo hanc omni critice carentem rationem defendat, quam *se supponere* Polybum in illo libro componendo forsan soceri sententias secutum esse (pag. 230): quae tamen opinio arbitraria prorsus nulla alia causa probabilis reddi potest, aeque ac illa *Galeni*, jam supra memorata subectiva, quam tamen maxime incertam et dubiosam

esse diximus. Etiam *Sprenglius* ipse librum de glandulis et aphorismorum sectionem octavam inter falsa scripta enumerat, iisque tamen ad opiniones suas firmandas utitur, id solum addens: „wenn wirklich hippocratische Ansichten darin enthalten sind“ (pag. 241.) At quonam modo post duo millia annorum dijudicare possumus, quaenam in illis libris sententiae vere hippocraticae sint, nisi strictissimo antea spuriorum et genuinorum librorum discrimine facto veras Coi sententias ex genuinis tantum scriptis repetimus? Quid igitur mirum, si *Sprengelius* laxam tantum quandam in construendo systemate suo secutus criticen multos inde scientiae intrusit errores?

Sed praeter illam de quatuor humoribus doctrinam (quae Polybi est) *Sprengelius* etiam doctrinam de illo ἐνορμῶντι Hippocrati attribuit. Quamvis Coi scripta intenti legerimus, haud quaquam tamen ullum illius ἐνορμῶνις vestigium invenire potuimus. *Sprengelius* quidem Hippocratem τὸ ἔμφυτον θερμόν ejus sedem et vi vitali eundem esse censuisse dicit, ut morbi eo judicarentur. Hippocratem sui aetatis sententias physiologicas secutum morbos coctione quadam judicari statuisse jam supra memoravimus, sed hanc coctionem alio ἀσωμάτῳ ac τῷ ἐμφύτῳ θερμῷ fieri, ne minimo quidem loco genuinorum librorum confirmari potest. Et unde *Sprengelio* illa opinio de ἐνορμῶντι hippocratico manavit? Ex scriptis hippocraticis? Minime, ut justum fuisset. *Boerhaavii* ex dissertatione illam assumpsit. At potestne *Boerhaavius*, quamquam medicus excellentissimus, earum Hippocratis sententiarum certus auctor esse, quas in ipsius Coi libris inveniri non possunt? Tota hujus rei ratio

intelligi non potest, sed multo etiam minus illa res, quod recentiores historiographi critice prorsus fere neglecta *Sprengelium* clausis ut ajunt oculis temere sunt secuti. Huc spectavit illud nostrum verbum jam in prooemio memoratum, alios alii probablia tantum visa jam ut certa duxisse: *Sprengelius* enim de ἐνοϱμῶνι dicit: „*wahrscheinlicher* ist des Hippocrates Lehre von dem ἐνοϱμῶν" (p. 240), recentiores autem hanc doctrinam ut rem certissimam exponunt.

Sed has in magnum *Sprengelium* controversias, in quibus jam satis superque morati sumus, missas faciamus, ne videamur his talibusque minutiis immortalis illius herois artis gloriam attenuare et atterere velle.

§. 12.

Mostii sententiae.

Cf. Fr. Most, über alte und neue medicinische Lehrsysteme etc. pag. 81—82.

Cl. *Mostius*, professor Rostociensis, in egregio illo libro antiquae artis medicae breviarium tantum praebens medii et recentioris aevi medicorum scripta accuratius perlustrat, qua in re continua studiorum subtilium documenta affert. Sed quo ad rationem Hippocraticarum sententiarum ab eo expositarum non putemus eum graecos ipsius Coi libros legisse, sed *Sprengelium* saepe ad verbum fere secutum esse vidimus. Doctrinam illam de ἐνοϱμῶνι ut certissimam jam exploratam rem praebet. Omnia igitur, quae jam supra de *Sprengelii* opinionibus diximus, et *Mostii* sententias attingunt, quibus id solum addamus, doc-

trinam de quatuor temperamentis, qualem *Mostius* ut Hippocraticam exponat, nequaquam in genuinis Coi libris esse inveniendam.

§. 13.

Lilienhainii sententiae.

Cf. Hipp. Werke, übers. v. Grimm, herausgegeben v. Lilienh. Thl. II. pag. 191.

Lilienhainius, medicus Glogovensis, Hippocratem *τὸ ἔμφυτον θερμόν* ut vitae causam statuisse recte dicit; *φύσις* vero quam notionem hic scriptor principium Hippocraticum nominat, apud Hippocratem leges naturales, haud quaquam vero ullum principium notat. Unde quoque fit, ut *φύσιν* Cous *τὸ θεῖον* nominare soleat (cf. supra), nusquam autem *πνεῦμα*, ut *Lilienhainius* opinatur; nam secundum genuina quidem scripta vocabulo *πνεῦμα* spiritus tantum, quem vivendo trahimus, significatur. — Sed et *Lilienhainius* quamquam libros Hippocraticos vertit et commentatus est et genuinos a spuriis stricte discrevit, dicit Hippocratem *ἐνορμῶντα* docuisse. Dicit quidem pristinorum scriptorum opiniones moderans: „wir finden nur eine *dunkle* Andeutung des *ἐνορμῶν*;“ sed et hoc parvum vestigium nos quidem in genuinis ipsius Coi scriptis invenire non potuimus.

ARGUMENTI INDEX.